



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Catalogus Patrum Societatis Jesu

Couplet, Philippe

1686

III. P. Mathæus Riccius

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64697](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64697)

III. P. MATHÆUS RICCIUS Italus  
 fundator, & deinde moderator missionis Sinicæ,  
 imperantis *Van lie* anno 11. Cycli 72. anno 20.  
*Quei vi* dicto (1583.) prædicavit fidem in variis  
 Provinciæ *Quam tum* locis; deinde in Provinciæ  
*Kiam si* Metropoli *Nan cham*, ubi sedem stabilivit:  
 postea mortuus in Provinciæ *Che kiam* Me-  
 tropoli *Ham cheu*. *Van lie* autem Imperatoris an-  
 no 28. & Cycli ejusdem an. 37. (1600.) *Kem cu*  
 dicto, post 17. annorum constantem in tot la-  
 boribus & lucubrationibus patientiam perruptis  
 claustris primus urbem regiam *Pekin* penetravit  
 cum Patre Didaco Pantoja, & muneribus sacris  
 & mathematicis. Hic singularis Imperatoris be-  
 neficentia permissus est residere, ædes ad id in-  
 dulgendo, & victu sumptibus Regiis assignato.  
 Octavo demum & 30. Imperatoris anno, & Cycli  
 anno 47. *Kem sio* dicto (1610.) Luna 4. ætatis suæ  
 58. cum fama sanctitatis diem obiit. Honoribus  
 posthumis ab Imperatore fuit donatus & sepul-  
 tura quæ sita est extra urbis Regiæ Portam *Feu*  
*chim* dictam. Extat de ejus vita & actis liber Sini-  
 cus. In lucem ab eo edita sunt sequentia.

*Cælestis Doctrinæ vera Ratio* 2. vol.

*Decem Paradoxa sacra, & moralia*, 2. vol.

*Disputatio contra sectas idolatricas.*

B



*Sententia morales.*

*Euclidis sex libri priores. 6. vol. De Amicitia.*

*Universa Arithmetica practica, 11. vol.*

*Litterarum Europæarum norma.*

*Ars memoria. Geometrica practica.*

*Cœli materialis, Terraque ratio, 2. vol.*

*De Mensuris.*

*Cœlestis ac Terrestris sphaeræ explanatio, 2. vol.*

*De figuris isoperimetris.*

*Magna mappa cosmographica unica figura elliptica totum orbem complectens.*

IV. P. EDUARDUS SANDEZ Lusitanus *Van lie* Imperatoris anno 13. (1585.) cœpit prædicare Fidem in Provincia *Quam tum*, dein obiit & sepultus est *Macai*.

V. P. ANTONIUS ALMEIDA Lusitanus eodem anno propagavit Fidem in Provincia *Kiam si* & *Che kiam*, postea redux in Provinciam *Quam tum* obiit in urbe *Xao cheu* 1591.

VI. P. FRANCISCUS PETRI Italus *Van lie* Imperatoris anno 18. (1590.) venit in Provincia *Quam tum* urbem *Xao cheu*, ubi triennio post (1593.) obiit. Ejus feretrum una cum feretro